

15.

*Q. F. F. Q. S.*

DISSERTATIO GRADVALIS  
DE  
**VRBE TORMA,**  
EIQUE  
**ADJACENTIBVS PAROECIIS,**  
*QVAM*  
*Suffragante Ampliss. Senatu Philosoph. in*  
*Regia Academia Vpsaliensi,*  
**SUB PRAESIDIO,**  
*VIRI Admod. Rever. & Amplissimi*  
**MAG. ERICI ALSTRIN,**  
*Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ord.*  
*b. t. Facult. Philos. DECANI Specabilis,*  
*Placidae honorum sistit disquisitioni*  
**ERICVS BRVNNIVS, ER. FIL.**  
**WESTRO - BOTNIENSIS.**



In Audit. Gustav. Majori ad diem 12. Junii  
ANNI MDCCXXXI.  
Horis ante meridiem solitis.

---

VPSALIAE Literis WERNERIANIS.

S:AE R: AE M:TIS  
*SUMMAE FIDEI VIRO,*  
Reverendissimo  
PATRI ac DOMINO,  
**D<sub>N</sub>. JOANNI**  
**STEUCHIO,**  
S. S. Theologiae DOCTORI  
Longe Celeberrimo,  
Regni Sveciae  
**ARCHI-EPISCOPO**  
Eminentissimo,  
Academiae Vpsaliensis  
**PRO-CANCELLARIO**  
Magnificentissimo,  
Vt &  
Ven. Confist. Eccles.  
**PRAESIDI**  
Gravissimo,  
**MAECENATI MAXIMO.**

**D**iu prorsus animo agitavi, an eo audaciae pro-  
cederem, ut Nomen Tuum, Reverendissi-  
miae in Christo Pater, per totum quaqua-  
patet, literatum orbem, celebratissimum, levidensibus his-  
ce, omnique splendore destitutis de Torna pagellis, p-  
raigere auderem. Sed audaciam fecit haud minimam,  
nunquam satis praedicanda illa gratia, qua singulos in  
Musarum castris pugnantes Alumnos, et jam minimos,  
nullo non tempore amplecti digneris. Animum quoque  
erexit, Maecenas Maxime, quod Patrem meum Pa-  
rentis Tui, dum in vivis esset, Reverendissimi, iam  
in coelis Beatissimi, patrocinio, per trium annorum  
spatium prorsus paterno olim fruentem, singulari favo-  
re, magnisque affeceris beneficiis. Horum licet parum  
idoneus praeco sim, simulque ulteriorem Gratiam devoto  
animo ambiam; innoxio tamen conamini ut ignoscas, An-  
tistes Summe, humillimus oro, atque hoc, quicquid est  
munusculi, gratiose accipias, non quod dignum sit, sed  
quod gratissimam & venerabundam significet mentem.  
Moderatorem omnium rerum DEUM T. O. M. assiduis  
sollicitabo suspiriis, ut Te, Reverendissime Pater, per  
longam annorum seriem, in columem atque felicem esse  
jubeat. Sic Ecclesia Regni Svediaci de Custode verae  
Religionis fidissimo, hae Camenae omnesque Clientes de  
Maecenate benignissime erga eos animato, sibi gratula-  
ri possunt. Valeas ergo, vigeas, floreas ad iteram us-  
que senectutem. Ita submissa mente precatur

REVERENDISSIMI PATRIS

Cultor devotissimus  
ERICVS BRVNNIUS.

S:AE R:AE M:TIS  
MAGNAE FIDEI VIRO,  
*Reverendissimo*  
PATRI AC DOMINO,  
Dn. NICOLAO  
STERNEL,  
Per Norlandias Occidentales  
SVPERINTENDENTI  
Celeberrimo,  
Ven. Confst. Hernoelandensis  
PRAESIDI  
Gravissimo,  
Gymnasi Scholarumque  
EPHORO  
Maxime incluto,  
MAECENATI MAGNO.

**H**Aud immemor sum; Reverendissime  
Pater, istius diei, quo mibi in aspectum  
Tuum prodire primum licuit. Qua oc-  
casione non tantum favorem summum; sed etiam affe-  
ctum in me propensissimum, immo si dicere auderem  
paternum

paternum, maximo meo cum gaudio declarasti. Benevolentia ista prorsus singularis, hanc mihi etiam fiduciam addit, ut lucubrations basce de ultimis Dioesceos Tuae locis, tenui licet Minerva adumbratis, Nomiini Tuо consecrare audeam. Accipias igitur, quaeſo, Maeenæas Optime, placido, ut ſoles vultu, munuſculum bocce chartaceum. Reſpicias quoque animum offerentis, ut ipote pietatis ſimul ac venerationis plenum. Quod ſi impetravero, non dubito, quin clientem Tuum postbac ceu hac tenus ſinu Tuо foveri patiaris. Supplicibus interim Supremum Numen invocabo precibus, ut Te, Nobilissimamque Tuam Familiam quavis felicitate affatim beet, & quam diutiflffe Arctois incolumem ferret. Ita vovet, & dum vixerit, vovebit

Reverendissimi Nominis Tui

cliens humillimus

ERICVS BRVNNIUS.

**V**T ceteri Commilitones honoratissimi patriam & natale suum solum commentationibus suis illustrare studuerunt; ita & ego Tornam adjacentesque paroecias, patriam meam dulcissimam, oculis suis L. B. tandem si-  
stio; sed lubens fateor, me circa hanc materiam spississimis tenebris involutam, tanta & quanta volui ac debui, propter gravissimum il-  
lum morbum, quo non ita pridem per dimidium anni spatium laboravi, qui que me in has tem-  
poris angustias conjecit, uti non potuisse. Inter-  
rim praestiti, quae potui. Semper enim animo  
meo observatum est illud Poëtae:

Esto memor patriae, quae te genuitque  
tulitque.

Enixe igitur Te L. B. rogatum volo, ut ea, quae  
hic minus Tuo arriserint palato, utpote lima  
minus accurata expolita, benigne tamen inter-  
preteris. Vale.



I. N. f.  
CAP. PRIVS.  
DE  
VRBE TORMA.

§. I.

**T**uod adpellationem urbs nostra,  
in W· Botnia antiquissima & pri-  
maria, a paroecia, in qua est sita,  
traxerit, omni caret dubio; quip-  
pe quae a non paucis retro seculis,  
haec nomina, *Torne*, *Torna*, *Torned*,  
&c. promiscue etjamnum usitata, sortita est. Hanc  
nostram assertionem, M. JOH. TORNAEVS a),  
nec non privilegia urbi concessa, firmiter stabiliunt b).  
Sed quorsum civium verba a Rev. BILBERGIO no-  
tata, pertineant, profecto ignoramus; dicit enim:  
*Insulae urbem factam esse cognominem tempore fundati-*  
*onis, cives asseruerunt c);* quum tamen insula, priscis  
temporibus, & ante urbem exstructam, *Sven-*  
*A*  
*sar,*

a) In descriptione Lapponiae c. 5. M. S.

b) Privilieg. §. 3.

c) In Refract. solis in ore, p. m. 26.

*far, audierit, hodieque audiat.* Varia diximus nomina paroeciae Tornensi olim imposita fuisse; singula si urbi adscripseris, perinde nobis erit. Sed si cui volupe fuerit, melioris ergo distinctionis, urbi nomen *Tornö*, amni *Torneå*, paroeciae denique *Torne* vel *Torna* adsignare, nec nos habebit contrarios. Plura de hisce dabitur nobis occasio inquirendi, quum de paroeciis acturi simus. Inte-  
rim translatum facimus ad alia.

## §. II.

Situm urbis jam indicare lubet, quem in fine ipsius sinus Botnici, ad os fere amnis Tornoënsis sub latit. 65. 43, & long. 45. 44. a), deprehendimus. Sita est urbs TORNOVIA, verba sunt b. m. BILBERGII, in flumine Torneö in Lapponia oriundo, loco peramoeno, quem fluvius in duo cornua divisus, iterumque junctus qua se in mare exonerat, efficit b). Et GYLLENSTOLPE WEXIONIVS dicit: *Tornö emporium in extremo sinus botnici, super insula, quam flumen efficit, collocatum, nec procul ab ostio fluminis in mare mox ruentis c).* Addimus etiam verba OL. MAGNI, quae non de urbe nostra; sed de insula in qua est sita, veterique emporio ibi habito, accipienda

a) Vid. BILB. l. c. p. 12. 28. 56. & Prof. SPOLE Relat. Com. DAHLBERG factam, M. S. Hisce Amplissimis viris maxima fides merito est habenda; quippe qui ad mandatum Clem. Regis CAROLI XI. W-Botniam A:o 1695. peragrarent, & instrumentis huic proposito inservientibus latit. & longit. probe delinearunt. b) l. c. p. 26.

c) in descriptione Sueciae l. 7. c. 52.

pienda sunt: *Labitur*, inquit, *ex montibus hujus aquilonaris Bothniae* (b. e. *fundi maris*) *undofus & profundus amnis*, qui duobus ostiis fertur in mare, *relicto in medio brevi spatio*, in quo fundatum est oppidum, quod *Torna* — dicitur. *Hoc oppidum in loco plurimum amoeno & commodo situatum d).* Insulae hujus longitudo, quartam fere partem milliaris, continet, in que meridiem atque septentrionem sese extendit. In illa insulae parte, qua occidentem spectat, ipsa urbs, in longitudinem magis quam latitudinem porrecta, tribusque plateis per urbem regularibus, nec non 14 constans viculis, conspicitur. **TORNAM nostram**, loco amoenissimo, immo etiam saluberissimo, sitam esse, verissimum est. Silvae quidem lucique insulam non exornant; a parte tamen septentrionali, arbores minoris generis variae, densissimae consitae sunt, quarum in medio pilasterium, murum in modum a veteribus elaboratum atque excisum, appareat. Praeterea agris & pratis gaudet jucundissimis, quae urbi non parum conciliant amoenitatis. Recte observat **WEXION**. nempe portum heic fuisse quondam optimum aeq; ac commodissimum e); sed dolendum est, incolas hoc commodo hodie carere, ac jamdudum caruisse. Hanc vero rem pluribus in posterum persequemur, ubi de amne nobis sermo incidit. Insula haec §. **IY.** *Svensar* f) dicta, aquis quidem

A 2

semper

d) Ex Hist. Rerum Sept. I, 20, c. 1. cf MART. ZELLERI neue Beschreibung der Königreiche Schweden und Gotthen p. m. 175. e) l. c.

f) Hoc nomen nisi derivaveris ab antiquo verbo *Sven* subintellige *Klop*, mercatorem designante, & fennico *Sar* vel *Sars* insulam denotante,

semper circumcingitur; comparet tamen locus, urbe paullo superior, *Naran* nuncupatus, ubi aestate fervente elapsisque aquis, pedes, prossiliendo ex uno lapide in alium, flumen transire potest. Tempore vero verno & auctumnali, fluvio turgescente, strepitus aquarum non minimus heic auditur. Hinc dictis temporibus torrens *Naeran*, lembis Tornam proficiscentibus, optimam & compendiosam praebet viam g).

### §. III.

Antiquitas, primordia nec non incrementa urbis, ex recepta tractandi methodo, jam breviter indaganda veniunt. Fuisse quidem Regis glor. m. JOHANNIS III. mandatum, ut suo tempore urbs heic loci exstrueretur, plurimae Regis literae testantur a); sed intervenientibus procul dubio aliis curis publicis, hic labor substitut. Donec Rex gl. m. GVSTAVVS ADOLPHVS ad petitionem subditorum, Birklorum puta, aliorumq; hominum ditiorum ibi degentium, hoc redintegraret propositum, privilegiisque confirmaret. Fundata est haec urbs, ut utamur verbis Ep. BILBERGII, in hac insula

a vero forsan aberraveris. Hinc *Svensar*, quasi diceres *mercatorum insulam*, quod nomen optime ei convenit, ob negotias ibidem jam dudum a Birkarlis habitas.

g) Observatu sane dignum est, fluvium Tornensem hanc viam olim percuruisse; illa vero pluribus rebus obstructa, aliam orientem versus sibi aperiebat, quam semper deinde retinuit. Sed hac de re pluribus infra,

a) Dat. annis 1583 d. 16, Junii. 1585, d. 19, Januarii. 1585. d. 28. Maii. 1589. d. 3. Februarii.

insula anno Christi MDCXX, cum antea sedes inhabitantium esset, abinde distantia aliquot stadiorum in meridiem, ubi adhuc templum vetus est lapideum b). Maximum robur PALMSKIÖLDIana documenta, in Bibliotheca Vpl. publica adservata, & a Max. Rev. Dn. Doct. ac Bibliothecario Celeberr. GEORGIO WALLIN (cujus benevolentiam, favoremq; sumnum, summa animi veneratione nullo non tempore agnoscam) benigne nobiscum communicata, assertioni nostrae conciliant. Videlicet: Rex quam primum, locum urbi condendae aptum per Dn. OLAVM BVREVM delineatum, videbat, confessim edidit, per literas d. 7. Sept. 1620. mandatum, ut urbem exstrui curarent futuri cives. Hinc mox fundamenta hujus urbis, tres fratres, PETRVS, KENICIVS & ANDREAS Petri filii, in Paroecia Skellestensi nati c), jecere, sedemque suam ibi fixere. Unde etjam primi incolae ac mercatores salutabantur. Postquam jam posita erant fundamenta urbis, facile quidem intelligere possumus, numerum mercatorum paullatim accrevisse; sed quantum singulis annis certo statuere nequimus. Post accessionem vero mox, suis quisque studens rebus, aedificia

A 3

b) d. l. p. 26.

c) Hi fratres quotannis, praecipue temporibus nundinarum, ut mercaturam ad Svensar-satama agerent, hasce operas petebant. Loci deinde jucunditate & proprio denique commodo affecti, heic confidebant, ut acta urbis publica probant. Sciendum quoque est, hos fuisse Reverendiss. Archi-Episc. KENICH ex sorore Nepotes. Horum pater PETRVS OLAVI fuit abavus maternus P. & P. M. ER. FROSTERI, ut ipse mihi per literas benigne narravit.

ficia erigere cooperunt , idque tanta cum diligentia,  
ut post breve tempus urbis ibi cerneretur imago.

#### §. IV.

Ad privilegia quod attinet , sciendum est, ea-  
dem originem suam debere , Regi GVSTAVO A-  
DOLPHO ; qui non tantum pio zelo, ut Torna ex-  
strueretur , flagravit ; sed etjam illam egregiis, an-  
nis 1621 d. 12 Maji, & 1627 d. 15 Febr. donavit  
privilegiis , ut §. proxime praecedenti innuimus.  
Illa postmodum singulari cum clementia , ab omni-  
bus succendentibus Regibus confirmata esse inveni-  
mus a). Privilegiorum singula momenta tradere  
supervacaneum duximus ; contenti nominasse se-  
quentia: insula Svensar , ante urbem conditam, 4  
rusticis inhabitabatur, quorum tres, in parte qua  
meridiem, quartus autem qua aquilonem spectat ,  
sedes habuerunt suas. Horum omnium fundos, tri-  
bus portionibus virilibus respondentes, Regia MA-  
JESTAS aequo pretio emit , & incolas futuros il-  
lis , addita XII. annorum immunitate , clementissi-  
me donavit. Plura, scitu digna , in ipsa disserta-  
tione inseremus.

#### §. V.

His itaque praemissis, sigillum urbis paucissi-  
mis indicabimus. Habet Torna nostra insigne ,  
*Turrim,*

a) Quod, Comes Palatinus JOHAN. CASIMIR (cui Rex GVSTA-  
VVS ADOLPH. ad exterios abiturus , rationem dirigendi intra Regnum sta-  
tus & fisci Regii, commisit. vid. Cel. LOCC. Hist. Rer. Svecic. p. m. 564. )  
sua dederit privilegia A. 1631. d. 7. Novemb. quae deinde Clem. Regina  
CHRISTINA 1636. d. 20. Iuli confirmata voluit, indicant documenta PALMSK.

*Turrim*, quod etjam in sigillo urbis conspicitur. Hoc a Rege Gl. GVSTAVO MAGNO concessum esse constat <sup>a)</sup>. Forma hujus ut singulis patescat, necessarium putavimus, typum ligno insculptum in fronte Dissertationis exhibere.

### §. VI.

Requirit jam ordo, ut rationem aedium & publicarum & privatarum habeamus, quae urbem nostram olim ornarunt, hodieque ornant. Vbi *Templi* primum facienda est mentio. Notandum enim est, incolas urbis, non statim urbe aedificata, templo aliquo gavisos fuisse; sed Sacra peragere sua in fano ipsius paroeciae sunt coacti. Haec via aliaque impedimenta, quum saepe, hunc locum frequentantibus, magna adferrent incommoda, proprium sibi exstruere templum, animo agabant. Sed quum hoc opus magnos requireret sumtus, quibus pares non essent, subsidia sibi aliunde conquirere coeperunt. Vnde Clerus Vpsaliensis in comitiis An. 1642 d. 7. Febr. ad petitionem indigentium, de aliquo auxilio Regiam Majestatem implorabat <sup>a)</sup>. Quo igitur anno jacta sint fundamenta templi, ignoramus, ut & inhabitatores ignorant; ex dictis tamen colligi potest, haud multo post antenominatum annum illud exstructum fuisse. Sed

<sup>a)</sup> Privil. §. 3. ubi verba ita jacent: *Derföre gesvve Wi dem til Stads-märke uts deras Stads-signete, at bruka och föra et TORN, efter som utritningen utvisar.*

<sup>a)</sup> Ex M. S, Nob, Secret, PALMSK.

Sed obtinet heic tritum illud : nihil tam stabile,  
 quod non excidio sit obnoxium. An. 1682. ad. 21.  
 Julii fulgure incensa , celerrimeque in cineres re-  
 dacta est haec sacra aedes , cum omnibus orna-  
 mentis illi dicatis. Hoc fanum ligno affabre ex-  
 structum , & amoeno ab urbe orientem versus po-  
 situm campo , turrique eleganti ornatum erat. Ad  
 templum exstebat campanisterium , in quo duae  
 campanae pendebant , quae mediis in flammis in-  
 noxiae deciderunt. Suggestum , subsellia , aliaque  
 ornamenta non referemus ; nominamus tantum ,  
 inter utensilia sacra calicem auratum , qui superest  
 factus est , quippe hocce temporis momento infe-  
 licissimo , destinato usui inserviebat. Nec praeter-  
 eunda duo in altari exstantia eximiae magnitudinis  
 candelabra , notatu sane dignissima. Haec tantae  
 erant molis , ut fenebras ad altare altitudine sua  
 superarent. Quodvis loca lampadum 24 contine-  
 bat. Illa Director officinarum Dn. ARND. GRA-  
 PE dono dederat. Impensa 1200 thal. cupr. tum-  
 mam constituunt \*). Hac aede solo aequata , in  
 Curia sacra peragebantur , usque dum templum ,  
 quo nunc gaudent , exstructum est. Hujus initium  
 structurae factum est An. 1683 , & proxime sequenti  
 opus continuatum , quo etjam , exceptis tamen  
 fornicibus tecti & subselliis , ita absolutum , ut tem-  
 pore festi S. JOH. BAPTISTAE , a Praep. & Past.  
 Piten.

\*) Copiam harum rerum , multarumque aliarum mihi fecit Vir Spe-  
 statae fidei & prudentiae , Dn. JAC. PLANSTRÖM , qui curam vestigium  
 Torn. omni cum laude gerit.

Pitensium M. PETRO GRAAN initiatum & Deo dicatum sit. Reliqua, quæ restabant, sensim absolverunt Tornenles, & illis ornamenti, quibus nunc coruscat, exornarunt. Longitudo hujus ad 48, latitudo vero ad 20 cubitos sese extendit. Haec sacra aedes ligno etjam concinne fabrefacta, loco admodum jucundo, paulloque aquilonem versus a priori distante, sita est. Hinc rete b. m. BILBER-GIVS: *ligneo enim (templo) eoqué elegantissime exstruc-cto in urbe gaudent b).* Quam quoque laudem Max. Rev. Dn. Doct. & Bibliothec. Celeber. GEORGIVS WALLIN huic aedi adscribit c). Exterius turri mediocri, optime tamen erecta, campanisterioque d) occidentem versus, per quod introéunt in coemeterium, affabre aedificato, superbit. In hoc duae suspensa sunt campanae e), non quidem majoris molis, soni tamen boni. Illam quoque habet praerogativam, quod satis superque lucidum, mul-

B

tis

b) d. l. p. 26.

c) *In itinerario suo p. 88.*

d) Campanisterium est altitudinis 100 quasi pedum; illuc per scalas, easque fasis praeceptes, Rex Potentissimus CAROLVS XI, solem innoxium visurus, ascendit; comitatus quibusdam praecipuis viris, tanquam hujus observationis curiosis testibus: inter quos nominatum prolati sunt: Comes GVSTAVVS DVGLAS, Provinciarum Norlandicarum Praefes; Consiliarius Cancellariae CAROL. PIPER; & Consiliarius bellicus JOH. HOG-HVSEN. vid. BILB. R. S. I. p. 12.

e) Major illa, ex ambabus prioris templi campanis fusa, hanc gestat inscriptionem: *Jerusalem ar bygd at thet skal vara en Stad, ther man tilfamman komma ikal.* Ab una parte haec comparent verba: *Me fecit JACOBVS BIERMAN, an. 1686.* Ab altera, nomina tunc temporis Consulis & Senatorum, qui curam fusionis habebant. Minoris inscriptio: *SOLI DFO GLORIA!* Ab una parte haec nomina leguntur: *Hinric Ericsson, Brita Isacs dotter, Eric Hindersson, qui hanc muneri dederunt.* Ab alitera: *Me fecit Jacobus Bierman an. 1685.*

tis magnisque fenestris illustre sit. *Interius* fornici-  
cibus gaudet quatuor, quorum duo primarii, va-  
riis picturis nitent. Chorum, uti vocant, impri-  
mis tabula, fundo caeruleo literisque aureis in  
memoriam Augustissimi Regis CAROLI XI. parie-  
ti adfixa f); atque tabula altari imposita, non qui-  
dem magna, egregia tamen, coenam Domini-  
cum XII. Apostolis praeferens, ornant. Praete-  
rea hunc locum, monumentum in memoriam  
Majoris cujusdam Legionis W - Botnicae erectum  
ac singulari arte confectum, condecorat g). Splen-  
dorem quoque addunt non minimum, 5. isti ly-  
chnuchi, ab incolis urbis pie donati. Parietes qui-  
dem non epitaphia & toremata; sed lamina atque  
brachia candelis adaptata, aliaque non tam scitu  
necessa-

---

f) Rex Sereniss. dum augustinissima sua praesentia haec loca honorabat; observationem de sole inocciduo in pugillaribus suis adnotare non gravatus est. Quae observatio quum in subditorum venerit manus; cura simul Satrapae regionis, in rei perpetuan memoriam, in tabula parieti adposita, descripta cernitur. Verba Regis sunt: Anno 1694 som war den 14. Junis ta sago Ws uppå Tornö klockestapel solen alt in til klockan trefiard, och detta minuter til tolf onnatten; ta kom en molnsky för solen. Men när klockan war tolf och 6 minuter efter midnatten, som kom in på then andra dagen, som war den 15 Junis, sågo Ws solen med sina fulla strålar uppgå igen. Om intet molnet hade kommit, så hade Ws sedt solen hela natten, för under horizonten var solen intet. Enär det intet är mulet, utan klart väder, so kan en se solen här i Tornö hela natten. Dignissimum proscelto monumentum, quod nos posteri admireremur, tantique Principis incredibilem in adeo diverso a Regiis curis negotio, sollicitudinem, ac exactissimam diligentiam venerabundi celebremus vid. BILB. l.c. p. 14. & RVDB, Atl. T. 3. p. 264.

g) Sic sese habet inscriptio: Kongl. Maj:ts Triomans och Major un-  
der Westerholns Infanterie, Wälborne Herr ALEXANDER FREDRICH  
SACK genant von OSTER, är föd i Läfstrand på Ösel d. 10 Novemb.  
1655, och blef död i Torne d. 23 Jan. 1694.

necessaria, quae propterea missa facimus, vestiunt. Suggestus sane est elegantissimus, caelatis pictisque, alicubi etjam inauratis imaginibus decorus. Utensilia sacra pretiosa sane, & magni sunt pretii, praeter alia ornamenta, quibus enumerandis B. L. nunc non morabimur. Templo huic nomen VLRICAE circa initia ejus inditum fuit, sine dubio in memoriam Clementissimae Reginae, Conjugis Regis ac Herois incomparabilis CAROLI XI. Deus qui hanc aedem sacram voluit, ab omni infortunio in posterum etjam eam conservet!

### §. VII.

Curias quatuor fuisse, post urbem primo conditam, invenimus. Structuram *primae* consummatam cum primordiis ipsius civitatis; *secundae* vero, priori fastidita, post temporis quoddam intervallum absolutam fuisse perhibetur <sup>a)</sup>. Ambae incendio 1672 deletae sunt. *Tertiam* deinde exstribabant cives egregiam sane & splendidam; variis enim erat distincta locis, turrique alta, in quae sonora campana, convocationi eorum, quorum intererat, serviens, insignita. Sed & hanc vehementissimae flammæ 1714 consumferunt. Hanc denique exceptit, quae hodie sat nitida spectatur. Turri rotunda & brevi, conspicua tamen, intus campanula pendent, ornata est. Ad radices turris,

<sup>a)</sup> An. 1656. Status Orientalis & Occidentalis Botniae TORNAM convenere, ibidemque de quibusvis negotiis Comitia in hac aede celebraverunt; ut mecum, vir antiquitatum callentissimus, adm. Rev. & Praec. MAG ER, FROSTERVS P. & P. Kieniensium vigilantissimus, benigne communicavit.

quadrangulare conspicitur & altum ambulacrum  
 ( *altan* ) concinne pictum atque caelatum. Plu-  
 rimae contignationes locorumque partitiones  
 heic sunt , quarum quoque quaedam mercibus  
*Muscovitarum* , quas *Iaepius Tornam* transportant,  
 inserviunt. Praeter Curiam , ad dignitatem urbis  
 civilem pertinet jurisdictio , quam adhuc retinet  
 sartam atque illibatam ; cui praefest Consul cum IV.  
 Senatoribus , quorum est ad trutinam & normam  
 legis , commerciorum , aliorumque quae ad civium  
 commoda conducunt , curam agere. Consules , ut  
 accepimus , sunt sequentes : 1. *Dn. Kenicius Petri An.*  
*1621.* primus post urbem conditam consul , atque  
 unus fratum , qui sedes sibi primum ibi fixere. 2.  
*Petrus Petri 1644.* an frater prioris , qui eodem  
 nomine signatur , incertum est. 3. *Joannes Inge-*  
*valdi 1648.* 4. *Olaus Svart 1656.* 5. *Andreas Tor-*  
*fonis 1660.* 6. *Joannes Mihcaëlis 1664.* 7. *Petrus*  
*Johannis 1666.* 8. *Olaus Hellbom 1681.* 9. *Johan-*  
*nnes Chore 1690.* 10. *Carolus Sadlin 1709*, hodie judex  
 per Lapponias Tornensem & Kiemienlem. 11. *Abra-*  
*hamus Burman 1713.* 12. *Seger Svanberg 1717*, nunc  
 Judex rerum Metallicarum per Botniam justissimus.  
 13. *Iacobus Grundel 1725*, qui hoc officio adhuc fungitur.

*Set. Lipping*

### §. VIII.

*var Borgm.* Locis publicis adnumeranda venit *Schola* , ubi  
*1763* , ansa subministratur juventuti , tam urbicae quam  
*1764.* *Romanerurali* , elementa bonarum artium addiscen-  
 di. Incommoda promanantia ex missione filiorum  
 suo-

suorum ad loca remotiora, quum viderent incolae; supplices petebant a Rege Gl. mem. GVST. ADOLPHO, ut huic malo occurreret. Cui petitioni Rex non refragabatur; sed clementissime concessit, ut Scholam conderent<sup>a)</sup>. Licet jam incolae hocce gauderent edicto; protractum tamen est hoc pium propositum ad annum 1651. dum ad mandatum Reginae CHRISTINAE, per Praefectum provinciae FRANC. CRVSEBIÖRN d. 2 Apr. 1651. illis injungebatur, ut non tantum Scholam aedificarent; sed etiam domicilia futuro rectori pararent. Hinc mox Schola est exstructa. Numerus scholarium aliquando major, aliquando minor conspicitur. Fidelibus semper floruit praceptoribus, habetque unum tantum Rectorem, Collegam nullum. Horum numerum nobis traditum lubentes subjicimus: 1. Mag. Georgius Elingius, deinde Mathes. Lector Hernoësandiae circa annum 1657. 2. Dn. N. Sandman. 3. Dn. Nicolaus Tornaeus, quibus annis sparta haec hisce duobus demandata sit, adeo non liquet. 4. Dn. Job. Halfius, postmodum Pastor Ecclesiae superioris Caliciae ad annum 1682. moritur 1730. 5. M. Olavus Rozelius a. 1683. Anno sequentis Scholae Trivialis Pitensis Pro-Rector. An. 1686. Lect. Log. & Phys. in Gymnasio Hernoëf. constituitur. 1687. finem vivendi fecit. 6. Dn. Joannes Biörn, priori mox successit. Sparta sibi commissa fideliter functus, vitam ibidem cum

B3

mor-

<sup>a)</sup> Exstat diploma Regis 1630 d. 13. Februar, editum.

morte mutavit 1703. 7. *M. Sveno Bidenius Renhorn*, qui post 4 annorum spatium, ad Rectoratum Sch. Triv. Hernoes. translatus, quem per 8 annos omni cum cura administravit; tandem 1715 diplomate Regio Praep. & Past. in paroecia Brunflo Jemtlandorum constitutus est. E vita migravit 1724. 8. *M. Olaus Sund*, 1707 huic officio admotus est, vir de ecclesia pro incomparabili, in juventute edocenda, diligentia, optime meritus. Fit Pastor in paroecia Sollefensi Angermannorum 1713. & tandem omnium, praecipue literatorum maximo cum dolore, pie exspiravit 1729 d. 29 April. 9. *Dn. Ibrael Noraeus* 1713. deinde Pastor in Raeflund Jemtl. moritur 1726. 10. *Dn. Isacus Grape* 1715. postmodum Comminister Tornov. optimus, jam Pastor superioris Caliciae vigilantissimus. 11. *M. Abrahamus Foug*t 1719. hodie Praep. & Pastor Torn. meritissimus. 12. *Dn. Johannes Wegelius* 1726. qui hac sparta nunc omnium cum aplausu rite defungitur, antea ob hostiles in patrios lares insultus, multa mala patienter perpetius.

### §. IX.

Aedes privatae ante incendium 1714 satis egregie ex ligno, pro conditione illorum temporum, fabricatae erant, plurimaeque duo habebant tabulata. Hodie vero urbem nostram eadem materia aedificatam, non tamen priori structurae respondentem vidimus. Quod quidem non negligentiae incolarum, sed potius tumultuosis istis temporibus adscri-

adscribendum est. Sunt praeterea fundi magis minusve ampli, pro cuiuscunque sorte & ratione possessoris. Maximi in longitudinem 40 & latitudinem 60 cubitos continent, alii vero minores sunt. Mercatores optimae sortis, aedificia sua habent ad aquam proxima, vilioris, ad plateam secundam, vi- lissimae, ad tertiam.

### §. X.

Jam ad commercia nobis veniendum est, quae victum & amictum civibus praestant, quae etjam contributiones erogandas allevant. Heic nobis sifit tur occasio differendi, quanta & quam ampla, exercuerint olim, & ante urbem exstructam, Birkarli Tornenses cum aliis commercia. Audiamus OL. MAGNVM in hanc rem egregie loquentem: *Ad ipsam enim (TORNAM), inquit, confluunt Russi albi, Lappones, Biarmi, Botnienses, Finni, Sveci, Tavasti, Helsingi & complures alii ex partibus Norvegiae, per altissimos montes & vastas solitudines a).* Sunt etjam mihi ad manus literae quaedam antiquae, quae idem & plura probant atque confirmant. Quam obrem non tantum hisce oris proximis ut Helsingis, Finnis, Tavastis &c.; sed etjam Gothis, aliisque, huc se conferendi, merces suas exponendi venales, & permutatione earum, alias sibi necessarias conquirendi, occasio data sit. Hinc cum majoribus tunc temporis emporiis, nostrum conferre

non

a) In Hist. Septent. l. 20, cap. 2.

non dubitamus. Optime ergo OL.MAGNVS: Nec alind, ait, *emporium frequentius in toto tractu suppolari, quam est haec TORMA b).* Namque & loci amoenitate, & portus hoc tempore commoditate, & denique proprio maxime commodo illuc alliciebantur advenae. Vnde locus, ubi merces diven-debant, *Satama \*) audit, cujus situs ad insulam Svensar, ubi nunc urbs conspicitur, erat, unde etiam Svensar - Satama nuncupabatur.* Nec hodie urbs nostra mercaturam facit spernendam; praecipue vero cum finitimis, ut *Tornensibus, Kiemensibus & Caliciensibus c).* Certis anni temporibus seu nundinariis, haec loca nostri visunt, & ab incolis tempore aestivo, salmones, truttas, salares, haren-gas, diversas albulas, lupos marinos in sole fiscatos, butyrum, carnes, caseos, sevum &c. permutatione mercium suarum vel numerata pecunia mercantur. Tempore vero hiemali, frumenta, sevum, lupum, pelles varii generis, lutrarum scilicet, vulpium, ursorum, sciurorum, mustelarum, martum, castorum, gulonum, rangiferorum sylvestrium &c. eodem modo colligunt. Porro cum Lapponibus Lapmarciis Torn. & Kiem. degenti-bus,

b) l. c. conf. MART, ZEILLERVS d. p. 175.

\*) Denotat enim *Satama & emporium & portum tutum*, ut me per literas, P.P. adm. Rev. & Praecl. M. HEN. FORBVS pro ea, qua est benignitate summa, certiore reddidit. Qui etiam suam mihi in pluribus promptus exhibuit operam. Ambae significationes optime convenient,

c) in Paroecia *Ksemi*, Nostri cum civibus Vlozelibus, in paroeciis super. Et infer, Caliciis cum Lulensibus mercaturam exercent communem, quemadmodum hoc dudum permisum fuit in privilegiis civitati concessis.

bus, commercia interdum lucri plena , peragunt. *Suis rangiferis bieme ad eos invisunt, & pro mercibus , quas secum advehunt , alias porro aequa aestimatione a lapponibus recipiunt d).* Merces , quas cives ibi coëmunt , & quas eo vehi curant , sunt variae ; quarum numerum ut ineamus , prolixum omnino foret. Interim ad Cel. SCHEFFERVM e) B. L. modeste mittimus. Deinde negotiaciones cum Norvegicis passim nostri exercent ; ad quos , ante Festum natalitiorum , proficiscuntur. Iter sane periculosisimum ; nam accidit , ut , tempestate in Alpibus Norvegicis orta , peregrinantes rangiferos suos aëre & nubibus ablatos , vel in totum perdant , vel ad distantiam 4 vel 5 mill. quosdam innoxios , quosdam laesos reperiant ; homines vero in receptaculis montium , habitacula sua quaerere cogantur ; alias etjam illis una cum jumentis pereundum esset f). Varia heic coëmtitant , ut : asellos varios , paucas tantum pelles rangiferinas , tegumenta linea &c , quae , propriis primum divenditis , rangiferis suis maxima cum cura reportant. Sed & cum Muscovitis denique Tornenses , ut utamur verbis BILBERGII , non contemnenda habent commercia , qui quotannis suas apud eos exponunt merces , aequissimoque pretio divendunt ; quandoquidem & illis ipsis eae minoris constant . ex urbe Archangel adveclae , ubi Batavorum frequentissimus appulus g). Nec pige-

C

bit

d) BILB. d. l. p. 26. e) in Lapponia p. 173 seqq.

f) Quamdui in hoc itinere morentur , indicat PERINGSK. pag. 8. Mon. Vpl. his verbis , Septimanis , inquit , ut plurimum XII iter illud Norvegicum (Tornenses) perficere solent. g) loco saepius citato.

gebit adferre verba OL-BENZELII , cui postmodum , Nobilitatis insignia adepto, nomen sicut BEN-ZELSTIERNA: Sed & ad mercatus, inquit, Bothniae ad occidentem sitae , Russi, maxime vero TORNÖVIA-M , celebre regionis istius emporium , bis in anno (saepius etiam) terrestri non minus ac maritimo itinere adeunt, & merces non solum russicas, ex earum numero , quas supra jam enumeravimus ; (nempe panum vilissimum , coria cruda, linum , cannabem, linamenta , linteal varia & id genus alia) sed & aromata , saccharum , ficos , uvas , zingiberi , piper , aliasque diversi generis species , in Persia & Siberia aliisque ad orientem locis natas adferunt b). Omnes merces supra nominatas , adjectis asseribus, trabibus nec non pice fluida, (exceptis iis , quas Rutheni adferunt vel ipsi a nobis emunt, & quas in usus proprios coacervant) Stockholmiam tempore verno & autumnali , non sine magno vitae discrimine , navibus suis transportant, easque interdum majori, interdum minori cum lucro exponunt. Navibus deinde Stockholmiae allevatis , vinum varii generis , frumenta , salem , aliasque necessarias merces reportant. Circumstantias quasdam huc spectantes, ob temporis angustiam, scientes praetermissimus.

### §. XI.

Vltimo urbis nostrae fata recensenda veniunt. Frequentibus est haec devastata incendiis, videlicet

1672

b) ex Diff. Acad. de Suevum cum gentibus Europaeis secundum leges & pacta commerciis p. 80.

1672 d. 1 Maji superior pars urbis, una cum Curiis nec non Schola in cineres redacta est. 1677. in Febr. iterum partem quandam delevit incendium. 1683 duorum fundorum aedificia, casu incensa, conflagrarunt. Haeret adhuc in omnium civium animis dies iste fatalis 1 Octob. An. 1714, dum fere tota, exceptis paucis aedibus ad plagam urbis superiorem & inferiorem, incendio miserrime devorata fuit. Reliquias sequenti anno violenta Bellonae manus flammis devastavit. Inundationibus quoque urbs nostra, loci sic ferente natura, saepius obnoxia fuit. Nunquam autem & civitas & cives, tantum damni acceperunt, quantum an. 1677 d. 25 Maji; quum aquae fluminis ripas supergressae non tantum totam pervagatae sunt urbem, sed etiam promtuaria multorum seu frumentarias tabernas, ad ripas existantes, aufugientibus civibus, abstulerunt. Nec praeter eunda sunt infortunia, quae itinera periculosa, Stockholmiam navigantibus saepius adtulerunt, ac etiamnum adferunt; dum non solum bonis, sed quod gravius est, uxores maritis, mariti uxoribus, parentes liberis, liberi parentibus per naufragia orbantur. Haec igitur de urbe TORNÅ breviter dicta sunt. Optamus autem velit Summus rerum Arbiter, clypeo misericordiae suae, urbem nostram in posterum ab omnibus memoratis, aliisque fortunae insultibus, sartam atque testam servare, ut constanter floreat, donec tota universi hujus compages pereat!

CAP. POSTERIVS.  
DE  
PAROECIIS  
*Superiori & Inferiori*  
T O R N A.  
§. I.

Promisimus §. II. capititis superioris, nos penitus  
examinaturos, de vero Tornae etymo, dum  
favente Numinē paroecias descripturi essemus. Sicut jam, utinam. omne fausto! eo per-  
ventum est, optamus, ut promisso satisfacere vale-  
amus. Verum enim vero hic salebrosa nobis ine-  
unda via est, quum varii in varias abeant opinio-  
nes, nihilque statuant certi, sed suam unicuique  
relinquant sententiam. Quidam Tornam, a Deo,  
quem antiqui coluere, *Thor*, ut b.m. Ampl.RVD.  
BECKIVS Pater <sup>a)</sup>, aliquie, derivari contendunt.  
Sed vocabuli analogia id requirere videtur, ut  
hoc nomen, si a *Thor* esset, non *Torne*, sed *Thore*, non  
*Tornö*, sed *Thorö*, & sic consequenter, diceretur.  
Alii hoc vocabulum a verbo Svethico *Torn* turrim,  
vel Fennico *Torni* idem denotante, dici volunt;  
quia amnis Tornöensis, ubi se in mare exonerat,  
turrim quasi repraesentat. Alii vero aliter, quorum  
siugulas sententias, nos brevitati litantes, sicco,  
uti ajunt, pede praeterimus. Dicit quodam loco  
incompa-

<sup>a)</sup> Atl. Tom. II. p. 74. & T. III. p. 454.

Ineomparabilis R VDBECKIVS Pater; *banc regionem apud Historicos esse celebratissimam, caussam addit; quoniam maris baltici ultimum sinum claudit b).* Quam observationem etjam antiqui procul dubio attendebant. Verosimilius ergo est, & veritati maxime consentaneum, hoc nomen ortum a vocabulo Sveogothis antiquitus usitato, *Torna vel Törna \*) h. e. reverti, finire; quia heic sinus Botnicus finitur, ut aquas suas ulterius diffundere nequeat.* Ex tali sinus Botnici fine vel termino opinamur jam cum M. JOH. TORNAEO e), hujus regionis denominacionem olim fluxisse. Meliorem aptioremque vocis originem, si quis invenerit, gratissimum erit. Controversiam, utrum amnis primum, an ipsa terra hoc nomine insignita fuerit, nostram non facimus. Probe etjam distinguenda venit, *Törnoa nostra a Törnoa meridionali, quae antea Vplandiae adscita;* An. vero 1689. Sudermanniae combinata est d). Harum autem paroeciarum, de quibus nos agimus, quamobrem altera *superior e), altera inferior nominetur, ex illarum situ patebit.*

## C 3

## §. II.

b) Atl. Tom. I. p. 394. \* vid, *Gloss. Sveog. Arch. H. SPEGEL* in voc. *Torna & Törna.* In inscriptione sigilli hujus paroeciae antiqui & moderni legitur: *Torna sōknes sigill,* ubi denominatio, cum hoc antiquo verbo, optime totidem verbis coincidens, cernitur.

c) in *Msc. de descriptione Lappon. c. 5.* d) vid. Nob. PERINGS, *Mon. Vpl.* p. 9. cf. p. 116, 117.

e) Haec paroecia, dum fuit inferiori adnexa, nōmen *Särkilax* fortia est, quo nomine etiam hodie illa paroeciae pars, quae templo primario subjacet, gaudet. conf. *Add. in Hist. Eccles. Rev. Arch. H. SPEGEL* p. 66, vel *Lit. Don. JAC. VLPH*, factae a. 1482.

## §. II.

Sitae igitur sunt hae paroeciae in fine ipsius sinus Botnici, vel in medio quasi ipsius semi-circuli, quem ultimus maris Baltici sinus efficit. Ne vero confusio quaedam existat, vel taedium B.L. tractatio paroeciarum conjunctim consideratarum, pariat; sigillatim, quam longe lateque hae paroeciae, earumque limites sese extendant, breviter indicabimus. Nempe Torna inferior, in longitudine ab ipso ore amnis ad pagum supremum *Korpikylä*, 3. milliaria, totidemque in latitudine a pago *Seiris* ad *Kakama*, continet. Ad aquilonem *Tornoviam superiorem*, quam locus quidam *Raja-maa* h.e. terra termini, supra torrentem vel villam *Martimo* dictam, a nostra sejungit; ad orientem paroeciam *Kiemi*, quam iterum collis quidam *Kallinkangas* vel fluvius *kakama* separat; ad meridiem finum *Botnicum*; ad occidentem *Calicium inferiorem*, quae ab hac circa lacum *kiaelltraesk* dividitur, vicinas habet. Superiori vero *Tornae*, versus austrum paroecia modo nominata; versus occasum superior *Calicia*, nec non particula *Lapponiae Lullensis orjas* dicta; versus boream *Lappmarckia Tornensis*; versus eorum partes quaedam *paroeciae Kiemensis*, ejusdemque *Lapponiae*, conterminae sunt. Limites circumcirca, natura ipla, per clivosa loca & juga montium, constituit. Longitudo XXV. mil. superat; latitudo vero inaequalis conspicitur. Inferioris paroeciae portiones viriles 110 $\frac{1}{2}$ ; superioris vero 63 $\frac{2}{3}$  numerantur. Junctim centuriam faciunt militibus 201 constantem. Habent insuper vici

vici fere singuli, silvas admodum vastas, de suo plerumque nomine nuncupatas, suntque silvestria alia loca adeo spatiofa, ut incolae nesciant, quoique limites sese extendant. Hinc plurimis in locis extra ripas amnis, omnia longissimo tractu sunt in-culta atque horrida. Ut Torna inferior campestris & plana, sic contra superior salebrofa & montosa est regio. Alias situs harum paroeciarum com-mendabilis est. Quippe medias paroecias interse-cat amnis, cuius ripas maxima pars incolarum in-habitat. Deinde insulae in ipso amne fere innume-rae, nec non ad litora maris densissime constratae, non possunt non huic orae prospectum conciliare pulcherrimum. Verbo: omnes, qui haec loca adire vel adeunt, praecipue temporibus vernis & aestivis, nobiscum certissime testatum ibunt, singula esse conspectu jucundissima.

### §. III.

Sed quum harum paroeciarum antiquitatem & primordia manifestare teneamur, tanta obstacula nobis obveniunt, ut plane ignoremus, quid prius quid posterius dicendum fit. Attamen quicquid as-fidua inquisitione expiscari unquam potuimus, in medium prolaturi sumus. Profundae eruditionis Vir RVDBECKIVS Pater dicit, primum illud *mortalium agmen cum Duce suo septentrionalia loca petens, post Babyloniam dispersionem haec loca primum oc-cupasse, ibidemque confeditisse* <sup>a)</sup>. Deinde alio et-

jam

<sup>a)</sup> Arl. T. II, p. 221; & 222.

jám loco statuit. Japheti, posteros primam sibi tanquam fixam sedem fecisse supra Finniae, Lappiae, Hel singiaeque; postmodum vero, occupata et jam Sveonia meridionali, tandem in Daniam, Germaniam, Britanniam, aliasque terras habitatum concessisse b). Album adjiciunt calculum Clar. BIÖRNER c) per plurimique alii d). Hoc si statuendum est, merito loca Tornoënsia & Cimmeria vaginam gentium australiorum appellaveris. Sane a veritate non videtur esse alienum, hanc regionem, propter naturam loci homines ad se invitantem, multiplicibusque commodis praestantem, incolas primum accepisse. Quae commoda illo praesertim tempore, non iltis rebus, quibus mortalium alii aliis ferejam anteponendos arbitrantur, sed potius locorum opportunitate, ad comparandam rerum ad vitae sustentationem necessariarum copiam, h. e, ad *aucupia*, *venationes* & *piscationes* &c. instituendas e), aestimabantur. Ex quibus omnibus, ut reliquae partes orbis septentrionalis, Torna praecipue commendanda est. Porro non parum facit ad antiquitatem, quod ORPHEVS, secundum laudatum Auctorem, appellaverit Tornenses Ταῦρος f). Postmodum ad oculum usque commonstrat Noster RVDBECKI.

VS,

b) Tom. III, p. 238. cf. p. 42. ubi ostendit vir Cel. *Celto-Schytarum vel Celtarum antiquissimum supra Torne domicilium* h, e. Gettahem fuisse. Dicit quoque p. 80. *Tornam* primum Atlo Lybiae filio occasionem dedisse considerandi corpora coelestia. Cf. T. II, p. 162. 164. nec non p. 85.

c) in Diss. Acad. de *Svedia Borealis* p. 3. cf. *Gotunkh*, illius p. 19. 20.

d) vid. Diss. Clar. Cand. IS. STECKSEN, de *W-Bornta* p. 5. 6.

e) RVDB, Atl. T. I, p. 12, seqq. f) Atl. Tom. II, p. 610. 613.

VS, PTOLOMAEVM , qui vixit seculo post N.C. secundo, in scriptis suis Geographicis , TORNAE totidem literis, ut apud omnes Geographos legitur , nominasse *g*). Praeterea Vir Celeb. Runas in terris nostris primum inventas , nec non scipiones Runicos primum conditos sculptosque esse probat *b*). Hujus calendarii callentissimos incolas etiamnum habemus. Neque Regio nostra plane caruit olim monumentis Runicis ; reperiebatur enim lapis quidam Runicus , ad lacum *käymäjerwi i*) nuncupatum , in quo tres coronae atque scriptura Rúnica insculptae , conspiciebantur , ut verba Dn. JOH. HADORPHII innuunt *k*). Nob. Secret. PERINGSKlöLDIVS & comes ejus HADORPHIVS junior , terram nostram, indultu Regis CAROLI XI. invisiuri , hunc etiam locum petebant , ubi in lapide scripturam quidem Runicam , sed valde obtcuram , ut sensum eruere nequirent , comperiebant.

*Tantum aëvi longinqua valet mutare vetustas l).*  
Alia signa vetustatem redolentia , hic non inveniuntur , quare illa evanuisse putantur. Et quidni tanta antiquitas ejusmodi aboleverit ? quum multa recentioris aëvi opera in nihilum quasi redacta

D

jaceant.

*g*) T. I. p. 394. *b*) Atl. T. II. p. 610. 613.

*i*) Distincta hujus lacus , a ferri officina *Kengis* , vel adjacentे pago *Pajala* , 13. mill. superat.

*k*) Verba HADORPH. in Mon. PALMSK. de *W-Botnia in genere* comparent. Observatu est dignum , hunc lapidem tribus coronis olim fuisse ornatum , quae signa ubique non comparent. Nullibi scio istas in lapidibus Runicis vissas esse , dum excepero lapides *Moreneses* vel *Mora-skenar* , quos Eruditii , inter vetustissima monumenta Rúnica , numerandos volunt . Cf. CORRIER, DAHLBERG *suec. A. & N.* *l*) Virg. *Aeneid. lib. 3. v. 415.*

jaceant. Addimus denique verba Dn. OL. BENZELII seu, ut postea dictus est, BENZELSTIERNA, antiquitatem hujus loci adstruentia, dicit enim: *Ex quibus illud quoque (loquitur heic de negotiationibus Muscovitarum cum nostris) certissimo velut argu-*  
*mento, colligimus, iter illud, quo primi harum terra-*  
*rum inhabitatores, ex Asia ad haec primum loca ad-*  
*vecti, ac crebrae inde Majorum nostrorum in Orientem*  
*expeditiones ultro citro factae leguntur, adhuc etiam*  
*frequentari m).* Helsingos Svecos haec loca quonam  
dam etiam incoluisse, nomina pagorum quorundam,  
ut *Helsingbyn, Biörckö, Kiörsbäck, Sällön &c.* maximum  
assertioni nostrae robur addunt. Quo autem tempore Fenni in hanc terram pervenerint,  
nec ex historiis patriae invenimus, nec incolis constat;  
credibile tamen est, illos ad haec loca olim  
accessisse, quum Finlandia gentium plena, colonias  
quasdam priscis retro temporibus distribuerit n).  
Has ambas paroecias, unam antiquitus constitu-  
isse, verissimum est; sed quando separationem sub-  
iverint, altum est silentium. Illam tamen non ita  
pridem factam esse, vel ex hoc conjicimus, quod  
quum Concilium Vpsalense An. MDXCIII. celebra-  
retur, nulla fieret mentio superioris paroeciae,  
ejusque Pastoris, sed tantum Tornae; quum tamen  
fingu-

m) Ex Diss. Acad. de Sveonum cum Gent. Europ. secundum leges & pacta commerciis, p. 80.

n) Finlandiam inde ab antiquis temporibus fuisse populosam regionem, vel exinde probatur, quod saepe colonias miserit ad alias, omniaque ad occasum deserta, *Helsingae, Medelpadine, Angermanniae & Daliae, Finnis adimpleverit.*

singularum paroeciarum sacerdotes receptae confessioni subscriberent. Deinde ex sigillis paroeciarum evincitur, quae circa annum MDCXVIII diversa conspiciuntur, hasce paroecias tunc temporis etjam separatas esse; quum antea in literis atque scriptis obsignandis Tornoae, non additis vocabulis *inferioris & superioris*, sigillum usurpatum fuerit.

#### §. IV.

Templum hujus paroeciae delineaturo, occurrit quidam scrupulus, circa aetatem structurae; praecipue quum ad postes januae majoris, nec non sacrarii hujus templi, computatio quaedam prorsus incredibilis, hunc in modum lapidibus exarata:  $1208 \cdot 21$ : conspiciatur. Verum enim vero omnibus luculentissime patet, lapides holce a Caementario praepostere collocatos esse, quod vel puncta ad limbum superiorem evincunt. Adeoque rectius loco calculi prioris ponitur 1208. Fatemur quidem, rationes quasdam, vetustatem hanc destruentes, adferri posse; sed istas ceu minus firmas omittimus. Capellam, paullo versus aquilonem ab hac sacra aede, circiter XXX orgyias distantem, antiquitus fuisse, pro vero venditamus; quippe rudera, robur assertioni addentia, etjamnum apparent. Hanc hostes Ruthenos flammis devastasse perhibetur. Sed proprius ad rem. Procedendo ab urbe mill.  $\frac{1}{4}$  iter trans amnem versus meridiem, occurrit plaga septentrionalis insulae Biörckö, in cuius spatiosa planicie, super collem paullo editiorem & peramoe-

num, ubi saluberrimus spirat aér, situm est *fanum parochiense*. Hoc satis augusta & capaci forma aedificatum est. Intra murum ulnas in long. 54  $\frac{1}{2}$  in latit. 23 continet. Totius muri constructio ex ru diore lapide constat. Ingressis in vestibulum, quod & armarium cum vulgo appellare licet, conspici endus offertur in limine templi grandior lapis (est vero repositus in liminis vicem) quasi dolabratus, qui barometri instar instantium tempestatum nuntium agit. Coelo sereno hic plane siccus; nūbibus autem obducto, adventantibusque pluviis ac im bribus, guttae splendentes tanquam ebullientes cer nuntur. Antiquitatem redolent baptisterium quod dam olim usitatum, nec non imagines quaedam pervetustae, & id genus alia. Suggestus haud inelegans est, quem loco prioris Consul civitatis pri mus KENICIVS Petri dono dedit. Quatuor ly chnuchi ex orichalco fusi, una cum 6 laminis parieti adfixis, nec non candelabro in altari, domum istam sacram, ubi opus est, illuminant. Cetera, ut utensilia sacra &c. injuncta brevitas praeterire jubet. Vicissitudines suas quoque subivit haec sacra aedes, dum propter vetustatem, rimas ad modum magnas, parietes passi sunt, ut tandem A. MDCCX. Dom. Palmarum, dum Sacra perage bantur, pars parietis ad subsellia sacerdotum abrupta decideret. Ceterum hoc damnum ex clementia Glor. mem. Regis Incomparabilis CAROLI XII, singulari quoque atque indefessa cura Praeclarissimi Ecclesiae Praep. & Past. Mag. HENR. FOR BVS, (cui etjam praesentem debet splendorem) se quenti

quenti anno resartum est. Coemeterium consecravit HAEMINGVS Episcopus Aboënsis; non tamen suo, sed nomine HAEMINGI Archiepiscopi Vpsalensis, ut memoriae prodit N.S. PERING. a) Campanile, quod versus aquilonem ad septum coemeterii positum est, duas optimi soni campanas sustinet b). Restat jam series Pastorum. Donec uberior de iis notitia haberi possit, nominum quorundam istorum quamvis simplicem & mancam recensionem hic adponere vixum fuit. Dn. Andreas Andreæ Essevius, prorsus incertum est, quo tempore hic vixerit; sed quod heic fuerit, innuit pictura quaedam, epitaphii loco, parieti sacrarii adfixa c). Dn. Eschillus, qui Concilio Vpsalensi interfuit. Dn. Canutus Canuti. Dn. Martinus Matthiae. Dn. Johannes Wargius mort. 1627. Dn. Martinus Wargius, Wiborgensis, antea Pastor Eccles. Fen. Stockh. Mag. Johannes Tornaeus, Praep. & Pastor. d. 27. Jan. 1640 constitutus; vir de Ecclesia optime meritus, obiit anno 1671. d. 16 Julii. Dn. Henricus Tornström, Pastor factus 1672. mor. 1682. d. 30 Maji. Dn. Gabriel Tuderus priori successit, finem vivendi fecit 1705. Mag. Henricus Forbus, Regio diplomate stipatus, Pastor Tornensium dignissimus evasit 1706. haud multo post Praepositus meritissi-

D 3

mus.

a) in Mon. Vpl. p. 4. cf. Mon. Vller. p. 147. b) Harum major fusca est 1724. d. 14 Julii; minor vero 1723, d. 14. Maii. Piores campanas tempore Past. Mart. Wargius fusas, Russi 1717 ad pagum Korpikylä sustulerunt.

c) Pictura ista habet tescin instar semicirculi, supra quem haec exstant verba: Post tenebras spero lucem. Andreas Andreæ Essevius. Intra hunc unum hujus in funerale, Columbae effigies; infra ad dextram: effigies Salvatoris, ad sinistram: S. Andreæ imago cum cruce expressa.

mus. Ut reliquum vitae curriculum tranquille transigeret, munus suum, excepta tamen praepositura, quam ipse retinuit, Genero suo Praeclarissimo, jam jam nominando, An. 1724 cessit. Sed hoc anno Eum, ut ejusmodi muneri gerendo adhuc parem, ob collata in Ecclesiam beneficia, Praepos. & Pastoratu Limingoënsi in O-Botnia, remunerata est auctoritas Superiorum. Hic, ut favore suo me complecti nullo non tempore cessat; ita & multa mihi ad materiam hanc illustrandam subministrare haud gravatus est. Cui multorum Benefactori, a me quovis honore prosequendo, ut multum vitae sit reliquum & felix, animitus opto! Mag. *Abrabamus Fougt*, Anno supra dicto d. 15 Julii, Pastor hujus loci, a Sacra Regia Majestate, confirmatus. Non ita pridem hujus districtus Praepositus vigilantissimus evasit, vivat! Quod ad nomen hujus templi attinet, nec scriptum quoddam, nec testimonium alicujus momenti ea de re reperitur, nisi traditionibus inniti fas sit. Ore quidem seniorum plebis fertur, templum hocce nomen S. JOHANNIS sortitum esse. Quinam ille fuerit, an S. *Johannes Baptista*, an vero alias quispiam, qui Patronus Ecclesiae salutatus fuerit, dictu admodum est difficile. Praestat ergo ejusmodi omittere, quam incertis conjecturis insistere e).

§. V.

<sup>4)</sup> Multa quidem missa feci, unum tamen tanquam memoratu dignissimum adseram. Funus Commönistri cuiusdam SIMON dicti, jam dudum ante XC annos denati, an. 1713, nulli adhuc putredini obnoxium, sed totidem membris ac dum in vivis esset, cernebatur. Hoc duntaxat observa-

## §. V.

Paroecia haec superior, antea *Saerkilax* vel *Saerkilachti* dicta, quum inferiori paroeciae h. e. Tornensi fuerit adnexa, uno tantum incolae gaudabant fano, & quidem ligneo. Quo anno autem illud exstructum sit, altissimum est silentium. Verissimum tñ. est, illud ante an. 1482. ut literae donationis Archiep. JACOBO VLPHONIS datae innuerentur a), contigisse. Fata hujus sacrae domus miseranda fuerunt. Videlicet an. 1615. inundatio amnis Tornensis fuit terribilis & vehementissima, inde praecipue orta, quod fragmenta glaciei, in cumulos collata, multa in fluvio loca obturabant. Hinc glacies & aquae continuo affuentes in aliam viam detortae, noxas fere irreparabiles incolis pererunt. Inter alias haec non minima fuit, quod sacram aedem eadem inundatione auferri videntur b). Tanta enim cum vehementia aquae roubant, ut ope glaciei, rivulum templum praeterfluentem, cymbae cujusdam antea non capacem, ita distenderent; ut etjam terram, in qua haec sacra aedes fundata erat, ad trium orgyiuarum alveum effoderint c). Inde ab eo tempore amnis medio-

cris

batur, illud admodum leve fuisse, ut quivis totum corpus digito levare & in altum tollere valeret. Ne quid irruptionis ex concurso plebis adspectantibus existeret, anno dicto istud, in coemeterio P. & P. M. HENR. FORBVS seperari fecit, ut mortui in pace requiescant. Caussam cur corpus non compremit, relinquimus Physicis examinandam.

a) Vide sis Addit. in Hist. Eccles. Rev. Archiepisc. SPEGEL p. 66.

b) Vid. Monum. PALMSK. in hanc paroeciam.

c) Hac occasione pagus quidam prope rivulum, haud procul a templo funditus simul evrebatur.

cris magnitudinis heic loci fuit. Infortunium hocce tanta cum celeritate supervenit, ut ipsum templum ejusque ornamenta & quaevis alia, nullo modo conservari potuerint. Tota haec compages aquis ablata, ad distantiam milliaris, supra terram, quam fragmenta glaciei secum abstulerant, integra cernebatur; ubi tandem glacie disrupta totum aedificium corruit d). Quotannis etjamnum hoc loco ossa humana, & quaedam eximiae ac giganteae fere magnitudinis, colliguntur. Hoc templo amissio, aliud (hodie primarium, moderkyrckia,) paullo inferius priori, ad pagum *Matarengi* vel radices montis *Saerkivara* (unde etjam nomen sortitum est) ligno exstructum iverunt. Quae exstructio Anno MDCXVII. absolvebatur. Distat hoc ab urbe *Tornovia* VI. mill. Nihil praeter imagines quasdam caelatas, quae templum prius ornaverant, deinde vero inventae sunt atque hoc translatae, memoratu dignum hic occurrit. Inter has imago S. GEORGII Cappadocis equo insidentis, & gladio nudato adversus Draconem pugnantis, erecta supra januam sacrarii, adparet. Ceteras omitto. Annexam, uti vocant, haud multo post, infra ad distantiam mill. cum dimidio aedificabunt. Haec quoque lignea est, & loco peramoeno *Hietaniemi* dicto, (quo nomine etjam aedes sacra insignitur) sita est. Harum sacrarum aedium ornamenta fere omnia, utensilia scilicet

d) Hucusque campana templi quoque delata est, ubi demum fundum aquarum petiit, deinde tamen inventa, convocationi ad templum primarium interviit, usque dum ab hoste an. 1716 ablata est.

scilicet sacra & quae sunt alia, Rutheni 1716 au-  
&tumno abduxerunt. Alia deinde sensim impensis  
propriis acquisita sunt. Annexa altera ad offici-  
nam ferrariam *Kengis* non ita pridem exstructa est;  
ut ecclesiae admodum dissitae inserviret <sup>d)</sup>). Initium  
hujus structurae an. 1723 factum, & annuente  
S. R. M. <sup>e)</sup> 1725, opus absolutum. Die nativitatis  
S. N. prima ejusdem anni, ab Adm. Rev. P. & P.  
Mag. HENR. FORBVS hoc templum inauguratum  
est. Supereft jam, ut seriem Pastorum eo ordine,  
quo eam accepimus, tradamus. 1. Dn. Nicolaus  
Philippi, etjam Falcko dictus. Hic procul dubio pri-  
mus hujus Ecclesiae Pastor fuit, mor. circa a. 1638.  
2. Dn. Nicolaus Nicolai Oulopolitanus, antea hujus loci  
Comminister, deinde Pastor an. 37. mort. 1676;  
3. Dn. Andreas Nicolai Tornensis, hic postquam an-  
nos 5 huic ecclesiae praefuerat, gradu dignitatis;  
certas ob caussas, remotus, & Pastor Lapponum  
in Koutokeino constitutus est, obiit 1705. 4. Dn. Mar-  
tinus Kiempe priori successit, antea Pastor Juckas-  
jerwensis. den. 1686. 5. Dn. Johannes Tornberg, Past.  
ad hanc ecclesiam an. 29. A Mulcovitis 1716 miser-  
rime laceratus, dolore post spatiū duorum dierum  
mortuus est. 6. Dn. Ericus Brunnius, Pastor hodi-  
ernus vigilantissimus. Ut Pater meus optimus &  
carissimus, ita & omni filiali observantia a me nul-  
lo non tempore prosequendus.

E

§. VI.

<sup>d)</sup> Est haec, & vicinorum parochianorum, & operiorum ad offi-  
cinam ferrariam *Kengis* decentium, impensis exaedificata.

<sup>e)</sup>) In piam recordationem summac clementiae S. R. Majestatis, sortita  
est haec Sacra aedes nomen FRIDERICI.

## §. VI.

Amnem jam describimus, qui teste Polyhistori  
store Nostro RVDBECKIO Patre, inter 15 illos  
majores fluvios, quos ex Ida monte veteres decur-  
rere dixerunt, numerandus est. *Decimus tertius, in-*  
*quit, Taranus & Turuntus fl. (Torneflod) inter lat. gr.*  
*65. & 70. & long. gr. 37. & 43. a).* Hic originem  
suam habet ex profundo & undoso lacu Tornensi  
(*Torneträsk*). Qui lacus (latitudo ejus non ultra  
unum mill. sese extendit; longitudo autem X. mill.  
superat) inter juga montium & Alpes Norvegicas  
cernitur b). Longitudinem fluvii nostri Nob. Se-  
cret. PERINGSK. hisce verbis indicat: *Communi*  
*utique calculo, inquit, inde a Torna urbe versus ar-*  
*don ad Tornensem paludem circiter XL. mill. numeran-*  
*tur c).* Et quoniam per loca montosa inaequalia-  
que fertur praeditus fluvius, hinc in illo id pecu-  
liare, quod crebris impeditus cataractis per pree-  
cipitia magno strepitu prolabatur. Hae cataractae

a) Atl. Tom. I. p. 800. Alio loco ostendit vir summus PTOLO-  
MAEVM appellasse hunc fluvium, *Turuntum* vid. Tom. I. p. 400.

b) Cf. JOH. TORNAEI descr. Lapp. c. 5. MS. Vbi etiam commemo-  
rat duos amnes hinc oriundos, alterum in mare Norvegicum, alterum,  
de quo nos loquimur, in Sinum Botnicum excurrens. Vnde sequitur hunc  
lacum situm esse in meditullio quasi Alpium Norvegicarum. Mox infra la-  
cum Tornensem ad ostium fluvii incipit cataracta vehemens ac impetuo-  
sissima, quae cymbis superari nequit, & dicitur *Darra vel Tarrafors*, multa  
de *Darra* vel *Tarra* referuntur, ista qui sibi nota reddere cupit, evolvat  
RVD. Atl. Tom. 3. p. 379. seqq. cf. p. 386. & Cel. VERELII Lex. in  
voc. *Pauran*. Neque hanc, quemadmodum nec cetera, quae in nostra  
gente celebriora sunt, cum illustissimis itineris per terras hasce sociis, invi-  
titatam reliquit Nobilissimus Dn. OL. RVDBECK. fil. an. sup. seculi 95.

c) In Men. Vgl. p. 8. cf. RVD. Atl. Tom. 3. p. 219, 220.

tanto impetu fragoreque devolvuntur, ut procul omnino audiatur strepitus. Amnes ac rivuli per plurimi aquas suas cum nostro fluvio commiscent, quorum recensionem adferre & onerosum & taedium foret. Nam quidam e vicinis stagnis atque lacubus scaturiunt, quidam fontibus locisque paludosis ortum debent. Fluvius Tornensis quia ad utramque ripam pagis rusticis est frequens, ut ante diximus; propterea verno tempore, quum aqua multum supra alveum excrevit, adeoque fluvius profundiores agit undas, incolae super. Torn. multi, asperes, trabes, etjam ad aedificia exstruenda aptatas in rates compingunt, & secundo flumine Tornam transportant. In inundationibus suis fluvius noster, glacieique, per depresso convallium loca, delapsu, ipsum alveum simul ac ripas vehementius verrit, cedentesque lapides supra fragmenta glaciei nec non telluris particulias aqua commixtas, secum aufert. Ex quo fit, ut sabulosa atque limosa hancce mixtura, in fundo deposita, importuosum litus Tornoviae redditum sit, & indies magis redatur. Hinc obstructio praecipue in ostio fluminis sensim oboritur quae etjam praecipua caussa est, cur praeteritis annis haud ita ut ante hac opulenta salmonum piscatio obtigerit.

## S. VII.

Quemadmodum autem montes praerupti & paludes innumerae, mediterranea loca, tempore aestivo invia reddunt; adeo ut, non nisi cymbalrum,

rum ope aut secundo flumine deferri, aut adverso obluctari cogantur, quibus in Lapponiam Tornovia transituris, vel ad ulteriora septentrionis tendentibus iter est. Quare relicto itinere terrestri, nautarum implorandum auxilium, eorumque cymbae, quas *Haopar* vocant a) condescendae sunt. Tunc nautae adverso flumine, quod multis in locis nec remorum nec velorum est patiens, inter saxa & rupes adversas contorum solummodo & perticarum ope, naviculam prope ripas protrudendo promovent. Et ubi interdum impetuosisissimae cataractae, quae nulla alias humana ope superari possunt, obviam veniunt, tunc longis anfractibus navigia sua itinere terrestri violentiae fluminis subducunt. Nec minori vitae discrimini se ferunt, dum flumine secundo deferuntur. Quando haud amplius, ut antea, contis & sudibus ripas radunt, sed ubi vehementes sunt torrentes, medium tenentes fluminis, duplicato remigum labore, aquarum celeritatem vel superare vela singulari satagunt. Hoc nimis ut utar verbis Rev. BILBERGII, omnino necessarium est, ne fluminis impetus cursu navis perniciosa puppim inundet, totamque adeo navem fluctibus opreat; praecipue quum & anteriores undae inter asperrima saxa gurgitesque vorticosis ac profundissimas voragini summa vebementia devolutae, pari redeuntes impetu prorae occurrant, navemque

a) Nomen *Häp*, satis congruere videtur cum viii vocis primitivae *hoppa*, *salire*. Tanto quippe impetu rapitur cymba a furente quasi flumine, ut saltus ab una in alteram undam agat, coelumque aquas inter & carinam conspiciatur.

quasi in Euripo detinentes, vel peritus absorptuae videantur b). Tanta certe arte cymbas inter caecos lapidum cumulos dirigunt, ut peregrinantes; prae-  
sertim huic itineri non assueti, attoniti quasi &  
stupentes, licet periculis subducti, aegre se libe-  
ratos credant. In primis vero insignis illorum  
peritia, & prudentia ingens in eo elucet, ubi na-  
vicula rapiditate aquarum per aliquot pedum spa-  
tium in auras jactatur; gubernatore tamen eadem  
lege gubernaculum regente, donec aquis denuo  
reddatur. Nunquam historrentes, nisi a peritis-  
simis penetrari possunt gubernatoribus. Tam  
periculosa itinera nostri emetiri coguntur. Sed  
necessitas hanc legem illis imposuit.

### §. VIII.

Jam pauca dicenda veniunt de ferri officina Kengis. Auctores sui agnoscit Nobil. Dn. ABRA-  
HAMVM & JACOBVM RENSTIERNA antea  
MOMMA appellatos, qui hunc locum ceu optimum  
& huic operi aptissimum elegerunt, nec  
non exstruenda exstruxerunt. Distat haec offici-  
na ab urbe Torna boream versus 16. mill. Duo  
mallei cum suis focis heic antea fuere, quorum  
alter cum adjecta sua fornace, propter insultus  
hostiles, haud ita pridem factos, nec non sub-  
sequentia tempora molesta, quasi incultus cerke-  
batur, & reliquiae proxime praeterita aestate in-  
opinato incendio consumebantur. Alter cum suis

E 3

duobus

b) In Refact. Sol. Iuocc. p. 52.

duobus focis etjamnum floret, ubi massae ferreae  
huc de ferri fodinis in Junosuando a) sitis, trans-  
latae, sub malleo in longiora prismata rite & ac-  
curate, secundum modum traditum & mensu-  
ram exhibitam, extenduntur. Tanta copia ferri  
& quidem optimi generis, quotannis hic cuditur,  
ut non solum vicina territoria ferrum habeant;  
sed etjam Stockholmiam haud parum quovis an-  
no transportetur. Silvae circumcirca sunt inge-  
tes, quae insignem carbonum copiam submini-  
strant. Ut eo melius hoc opus perfectionem su-  
am obtineret, possessores hodierni A. 1719. cle-  
mentissime a S:a R:a M:te 20 annorum privile-  
giis donati sunt. Excudebantur etiam heic olim  
laminae cupreae ex massis ejusdem minerae, a  
cupri fodina in Lapponia sita, Swappawara nun-  
cupata, allatis b). Situs nostrae optimus & ju-  
cundissimus est. Adjacet enim fluvio Tornen-  
si, qui tanta violentia per montium juga & pree-  
rūptos

a) Inter has fodinas & officinam nostram mill. 7 cum dimid. borea-  
zephyrum versus interjecta sunt. Tres heic fodinae conspicuntur, nempe  
*Stor-grufwan*, *Eatong-grufwan*, & *Graobergs-grufwan*, quae omnes, ut  
singulae fere partes montis, hujus minerae ditissimae sunt. Et quod maxi-  
mi est commodi, ultiram an. 1723 e novo exstructam, mox infra ad di-  
stantiam 20 orgyarum possident. Infra has fodinas ad spatium 2 mill. influit  
in amnem Tornensem fluvius quidam *Lainio* dictus. Hic ejus est indolis,  
ut salmones hucusque natantes, prorsus fluvium Tornensem relinquent, &  
hujus ductum sequantur. Causam despiciant Physici. Hoc tamen indicare  
juvabit, diversas haec flumina vohere aquas, nam Tornense pallidas haberet,  
hujus aquae ob pelluciditatem & profunditatem nigrae apparent. Unde pro-  
num est concludere, aquam esse causam accessus salmonum.

b) Distat *Swappawara* a superiore nominatis fodinis boreant versus  
5 mill. Multa de hoc loco profertemus, modo nostri esset propositi, de iis,  
quae in Lapponia occurunt, quaedam tradere.

102 ) o ( 103

ruptos scopulos heic praecipitatur, ut lapsus a. quarum ad hanc officinam, isque summo cum fragore, impetuque vehementissimo & horribili, ad altitudinem 36 pedum a b. m. BILBERGIO c) aestimetur. Insigne tamen commodum dictae praefat officinae, quae, ubi flumen ad ripam occidentalem inflexum est, ita collocata, ut ipsum non magnae molis crepidinibus coercentur, nec earum fastigium excedere queat; libero quippe cursu circa ripam oppositam delabitur. Hoc incommodi hic locus secum dicit, ut non sine summis impensis & maximis insuper periculis, praesertim aestate, cymbae ferro malleato oneratae, per aquarum praecipitia deferantur. Templi mentionem §. 5. hujus cap. fecimus. Possesores hodiernos & quae sunt reliqua indicare nunc non vacat.

### §. IX.

Variis sustentatur adminiculis oeconomia nostratium, utpote primum agricultura. Fatendum quidem est, ingens segeti interdum periculum a frigore imminere, dum circa maturitatem ejus, vel eo tempore quo speranda est, ros vel pruina matutina cadit, quae nucleus segetis laedit & prorsus perdit. Quod incommodum vel malum, alia ratione nostri averruncare nequeunt quam

e) l. c. Haud multum infra hunc lapsum aquarum, fluvius Kongāmā sese in nostrū exonerat; a quo etiam officina nomen sortita est. Duo pagi huic fluvio adjacent, quorum alter Colare alter Monionissa appellatur. Ab hoc ad Kongāmā 15 ab illo 5 mill. numerantur.

quam ut segetem licet immaturam, prius quam talia patiatur, refecare cogantur. Hunc tamen detimento aliud accedit commodum; mora enim solis supra horizontem quam aliis locis diuturnior & loci natura efficiunt, ut segetes heic brevi maturescant. Unde saepius optimam & fertilissimam incolae messem faciunt. Interdum in medio (raro ab initio) Maji, interdum sub initio Junii semen terrae mandatur gremio; in fine tamen mensis Julii & initio Augusti, matura cernitur <sup>a)</sup>. Segetes maturas, falcibus demetunt, & demessas in fasciculos ligant, quos iterum ipsi in domos balneorum instar, *Rijor* dictas, important, ubi tandem arefactos trituran. Agrum ut aliis plerumque locis non vomere scindunt nostri, aut bus jumentisque arant; sed ligonibus atque bidentibus fodiendo, glebam labore manuum & laceratorum temperant ac subigunt. Diximus frigus & pruinam multum facere ad annonae caritatem; hanc vero frumenti penuriam compensat industria gentis. Parsimonia enim magna utuntur plerique incolarum. Licet optimi frumenti copia fiat, mos tamen inolevit cum frumento miscendi paleas (nostris *Stamp* audit) nec non interdum alburnum pinneum & corticem interiorem ex pinu detractam, & in pulverem comminutam. Idque etiam nulla urgente

<sup>a)</sup> Observetur, si quis in Yplandia semen a nostris acquireset, & terrae committeret, illud ante duas vel tres hebdomadas maturescere competit. Quod per tres annos valebit; sed deinde induit hoc semen naturam loci. E contrario, si nostri, semen hinc acquisitum, sererent, maturitatem suam non attingit. Quod etiam probatum est.

urgente necessitate faciunt, ne difficilioribus temporibus, victimum hunc tolerare nequeant. Ex piscium capture maxime quoque vivunt. Innumeris lacubus & fluviis ut incolae gaudent, ita & pisces fere omnis generis, salmones quoque, magna industria & copia capiuntur, ut non suas duntaxat illis instruant menas; verum etjam peregrinis divedere possint. Porro lacte & pecore aluntur. Vidi-mus antea nostram regionem laetis latisque pascuis abundare, ubi numerosos fere pecorum greges pa-scunt nostri. Jam propter optima haecce pascua, non tantum maximam copiam lactis, sed etjam pinguisa pecora habent. Praeterea multum sunt nostrarates in venationibus. Silvae, ut §. II. h. c. monuimus, sunt vastissimae, quae non solum ligna praebent ad varia incolarum supellestilia, & ad materiam splendidiorum aedium naviumque; verum & feras alunt varias & sane innumeratas, quarum vel ad victimum vel amictum usus est frequens & quotidianus, unde & varias illis insidias faciunt. Aliis retia ponunt, alias sclopo transverberant, alias arcibus petunt, alias venabulo (quo saepius utuntur) figunt, alias aliter b). Tanta quoque

F

arte

b) Ursum quomodo capiant, paucis exponam. Ursi ea est natura, ut mense Octobri in cavernis terrae & vallium quaerere ac occupare latebras soleat, quibus per hiemem latitare atque cubare queat. Nostris hujus rei probe consciis, tum temporis, si nix fuerit, accurate vestigia illius obser-vant, ut ex iis, ubi speluncam habeat, rite cognoscant. Postea hieme, quum nix profunda & cursus in ligneis soleis, (hanc artem optime callent nostri, & ita quidem, ut in profunda nive silvestres rangiferos, & lupos velocitate eximios antevertant atque trucident) aptus fuerit, raro per canes

arte & sollertia silvas densissimas peragunt, ut aliis  
merito admirationem injiciant c). Aucupio dein-  
de dediti sunt nostri. Aves enim silvestres, nec  
non marinae incredibili quotannis copia heic com-  
parent, quas variis modis, & singulari sollertia  
captant. Nec parum facit ad incrementum rei fa-  
miliaris, iter multorum rusticorum in Lapponiam  
mercandi gratia, quod omitto. Taceo quoque  
reliqua adminicula, quae imposita brevitas prae-  
terire jubet. Ultimo breviter observare licet,  
rusticos hieme in domo quadam ob calorem  
optima, quam *Pörte* & *Pirti* vocant, versari, ubi  
loco candelarum faculis pineis, circa quaevis  
agenda utuntur. Aestate vero hac aede inani re-  
lieta, in culinis commorantur. Gaudent quidem  
fere singuli optimis domiciliis (*Stufwor*), quae ta-  
men nunquam vel raro inhabitant; ceterum illa,  
in aliam rem, videlicet ut transeuntes vel peregr-  
nantes (quos cibo & potu liberalissime reficiunt),  
habeant hospitium, reservata volunt.

## §.X.

---

venaticos; verum ipsi ex rubore, quem efficit anhelitus in nive supra  
speluncam, illum investigant, investigatum denique venabulo seu hasta plerum-  
que interimunt,

c) Aestate pedibus, hieme soleis ligneis, silvas & deserta maxima  
perambulant & percursant. Signa, ad quae passus suos dirigunt, sunt se-  
quentia: Primum attendunt, ad lanuginem semper ad borealem plagam in  
pinis torridis pendentem. Deinde corticem Populeam boream versus aspe-  
ram & crassiorem quasi; ceteris autem lateibus laevem & tanquam tenuio-  
rem esse dicunt. Observant denique, caules baccarum ad cumulos formica-  
tum, a parte qua boream spectat, crescere; ceteras vero partes circum circa  
vacuas & nudas esse.

## §. X.

Aëris heic est optima temperies. Nam quod saluberrimo & purissimo aëre fruantur, probatur vel inde, quod editiora illa loca vehementioribus ventilentur & purgentur ventis & procellis. Frigus praeterea intensissimum, venenosum halitum facile dissipat. Arguit etjam salubritatem aëris indigenarum firma valetudo, ut medicos nec habeant, nec se indigere existiment. Et quidni? nam has horas morbi contagiosi, pestis nunquam, acuta febris a) & hujus similes raro, infestant. Accedit quoque robustior eorum natura & statura. Hinc etjam Cel. RVDBECK. Pater dicit: *Homines quo septentrioni propinquiores sunt, eo etjam proceriori statura, donec ad latitudinem gradum 68 perventum fuerit b).* Et alio loco: *Huc sane, inquit, plurimum facit natura soli, aëris temperies, ut & nutrimenti bonitas, quibus rebus omnibus & vires augeri & corpora in maiorem molem excrescere necesse habent c).* Idem evincit denique longaevitatis incolarum, namque homines invenire licet non paucos, qui annos 100 etjamnum & quod excurrit, vivendo attingant. Quod Rev. BILBERGIVS his verbis probat: *Sunt autem homines, ait, in illis locis admodum longaevi, ut qui ad centum nonnunquam & amplius annos aëtatem producant d).* Hisce praerogativis & multis aliis

F 2

licet

a) Nemo incolarum febri unquam laborat, quam tertianam vel quartanam appellant, nisi prius meridionaliora, ubi saepius grassatur, loca inviserit.  
b) Atl. T. I. p. 639.      c) ibid. p. 85.

d) In refr. Solis inocc. p. 80.

licet nostri gaudeant; reperiuntur tamen ejusmodi maligni homines, qui nostrae terrae & toti Botniae eam infamiam & notam inusserunt, ut *incolas nulla quapiam felicitate gloriari potuisse vel posse dixerint.* Quod quam longe a veritate sit alienum, facile quis ex dictis & dicendis percipere potest. Et ut dicam, quod res ipsa postulat: nescio profecto, dum excepero annonae caritatem, quae ibi interdum existit, utrum nostra, aliam regionem australem, se superiorem agnoscere debeat.

### §. XI.

*Ver & au&lt;stumnus aestatis absorbent magnam partem; hoc tamen commodi secum habent, ut ver adjuvante solis calore a&rem efficiat temperatum; nam sol*

*- Luce nova jam damna priora resarcit  
Et rebus vitam qua caruere refert a).*

Et au&lt;stumnus, dum frigore suo, paludes, loca limosa, lacus & amnes constringit, non tantum viam compendiosam sternat; verum etiam poros terrae, per quos facile vapores venenosí exsurerent, quasi obturet & claudat. *Aestas*, quamvis brevis & curta, temperato calore refocillat universa, neminem vero a laboribus impedit. Quod aestati in brevitate videtur deesse, id vallium & montium (quibus radii solares reflectuntur, caloremque augent) multitudine & frequentia, longioreque caloris solaris usura, quam alibi, ut ex poli elevatione est manifestum;

*compen-*

compensatur. Sol enim tempore solstitii aestivi non occidit, sed media nocte aequa splendet \*) ac interdiu, & sic continuam incolis diem largitur. Difficultatem hanc aestas secum saepius adferit, ut aërem muscis, culicibus, aliisque insectis ita impleat, ut nisi quis pice unixerit, vel velamento quodam faciem texerit, vix molestias, quas adferunt, sustinere queat. *Hiemis* diurnitas, ob tenebras & frigus taediosa & molesta quidem esse videtur, quia omnia tunc tegit nix, & omnia concreta jacent; ceterum natura, homines quoque & cetera animalia ad locorum patientiam generavit & accommodavit. Natura apta vestimenta, copiam lignorum, viresque corporum ita opposuit frigori, ut vitalis calor non extinguatur. Solstitio brumali, diem non ultra duas horas habent, quod reliquum est temporis, crepusculum tantum & diluculum. Tunc somnus, qui breves facit tenebras, optimum temporis est compendium. Peregrinantibus evenit hieme ea difficultas, ut ex anhelitu circum os & vestes generetur pruina & glacies. Nec praetermittendus est strepitus ille, quem gelu in arboribus efficit, ut proficiscentes undique sonoros audiant crepitus, haud secus ac plura ligna caederent.

## §. XII.

Optima quae heic est coeli facies, in primis  
F 3 diutur.

\*) Quum solem media nocte aequa ac interdiu splendere dixerimus, intelligamus oportet, illum quibusdam locis per refractionem, quibusdam vero ut in *Kengis* & superius, revera supra horizontem fulgere. cf. BILB. Refr. S. I, c. 4.

diurnior usura solis, multos ad se invitavit. Invitavit Regem ac Heroēm Potentissimum gl. mem. CAROLVM XI; Qui una cum Comitatu suo Illusterrissimo regionem nostram praesentia sua, mense Junio A. MDCXCIV cohonestavit. Voluit S. R. Majestas, solem inocciduum, miraculum illud tot linguis celebratum ac decantatum, intra regni sui fines videre; ejus rei etjam optime est compos factus, quod satis superque Regis annotatio, a nobis §. VI. cap. prioris adducta, testatur. Quanto igitur gaudio ac laetitia nostri exsultarunt, dum alterum solem incomparabili clementia radiantem, PATREM PATRIAЕ, illis simul videre contigit? Tunc certe erat SOL OBVIUS ALTER. In gratissimam memoriam felicissimae expeditionis Regiae, pietas subditorum Nummum cum effigie Regis & emblemate idoneo exstare voluit. Alterum latus emblema sistit, quod heic subjugere placet;



alterum

alterum autem , effigiem , cum hac inscriptione :  
**CAROLVS XI. DEI GRATIA SVEC. GOTH.**  
**WANDAL. REX** <sup>a)</sup>. Haec quoque solis mora  
 effecit , ut ad has oras tres Galli , de FERCovRT ,  
 de CORBERON , & REGNARD , An. superioris  
 seculi LXXXVII acceſſerint . Tandem ad Cupri-  
 fodinam Swappawara ſubſtitere , ubi ſequentes ver-  
 ſus , (hodie videri poſſunt in templo Juckasjerfwensi  
 Lapponum , in tabula parieti ad altare affixa) dicto  
 anno d. 18 Aug. in memoriam ſui confecere .

*Gallia nos genuit , vidit nos Africa , Gangem  
 Haſſimus , Europamque oculis luſtravimus omnem ,  
 Caſibus & variis acti terraque marique ,  
 Stetimus hic tandem , nobis ubi defuit orbis .*

Dictam denique ob cauſam magnae Britanniae ſub-  
 ditus Dn. AMBRY de la MOTRAYE ſeptentriona-  
 liora haecce loca petiit . Qui rediens , ad Juckasjerf-  
 wam , An. 1718 d. 13 Junii ex lacu Torn. ſequen-  
 tes ſcribebat :

*Gallia mi lucem dedit & liberum Anglia portum .  
 Vtraque Germania , & quoque Graecia magna minorque ;  
 Mons Iovis , Barcellona , Herculeaeque columnae ;  
 Ambae Afiae , Italia , Affrica , hiſque oppoſta Melite ;  
 Euxina & Maeotica , Caſpia , Baltica nec non  
 Litora viderunt , vidit polus arcticus ipſe .  
 Et mihi inocciduum oſtendit Lapponia ſolem ,  
 Proque cibo & potu , carnem & lac rangiferinum  
 Praebuit ; ut Tartaria olim praebebat equinum .*

Vberio-

<sup>a)</sup> Vtraque nummi latera , exſculpta in Theſſ. Numism. Sueogoth. EL.  
 BRENNER , ſiſtuntur .

Vberiorem qui cupit notitiam de iis, qui dictae rei cupidi, vel alias haec loca peragrarunt, adeat, rogo, Dissertationem Clar. Dn. IS. STECKSENII b), ubi magnum eorum numerum inveniet.

### §. XIII.

De fatis harum paroeciarum multa quidem dicenda occurunt; verum enim vero paucis ista absolvemus. Rutheni, quum seculo XVI saepius totam O-Botniam crudelissime vastrarunt, procul dubio etjam nostram terram adgressi sunt a). Nec nuperum Martis furorem evitare potuerunt nostri; quum itidem Rutheni Annis 1715, 16, & praelertim 1717, nostras paroecias miserrime spoliarunt, flammis devastarunt, & homines crudelissime trucidarunt. Annis dictis 1715 & 16, saepius quidem accessit hostis; sed Tornenses, (quos ab arte antea laudavimus, merito nunc a Marte celebramus) illum Tornoae minitantem retardarunt. Convenerunt nostri unanimiter bombardis hastis & gladiis armati, nullo interdum monente; verum ducti & moti ingenti amore patriae, hostes non tantum profligando, sed etjam variis ingeniosis stratagematibus b) utendo, patriam suam magno sui nominis honore

b) de W-Botnia p. 34. & 35.

a) Cf. hac de re HAD. Rijm-Chrōnska part. post. pag. 343. seqq. & Diss. Cl. Dn. JON. ASKS de Vma p. 38.

b) Inter singula stratagemata, quae hosti a nostris struebantur, illud ad silvam *Kakama* maximum erat. Ibi rustici viam hieme, utrinque arbores caedendo, obsepiebant & claudebant; ipsi deinde ad utraque viae latera occulti jacebant. An. 1715 d. 15. Mart. quum Russi, ignorantes insidias positas, singuli equitando, ad hunc locum accederent; nostri hanc amplius, ut antea, taciturni, sed constanter utrinque bombardas exploden-

honore defendebant. Hisce cladibus hostis tandem commotus, mense Jan. An. 1717 tanta multitudine advenit, ut non solum nostros, qui, illi ut resisterent, impares erant, fugaret; verum etiam immitti prorsus modo per has paroecias, usque ad pagum *Pajala*, dimidium mill. supra officinam *Kengis* situm, grassaretur. Tandem post aliquod temporis intervallum haec loca reliquit hostis magna praeda onustus, quem nunquam postea hostili animo adventantem, utinam in perpetuum! Tornavidiit. Detrimenta, quae, inundationes verna & quae sunt reliqua, nostris inferunt, plane omitto.

#### §. XIV.

Quum haec nostra qualiscunque descriptio modum opinione majorem dudum nacta sit, vela heic complicare, & portum subire cogimur, haud diffidentes multa memoratu dignissima omissa esse, ut pote, ritus nostrorum nuptiales, modos piscandi, plurima quae ad Historiam naturalē pertinent, &c. Ceterum ejus ponderis cuncta sunt, ut peculiarem, si rite describerentur, poscerent tractatum. Imprimis arrisit nobis solis inoccidui penitior consideratio; sed nec nostri est propositi Astronomum agere. Suplices igitur precamur, velit Sol ab aeterno inocciduus Deus T. O. M. nos ad ultimam Thulen & Zonam

---

das, hostem in medio constitutum infestabant. Muscovita ante se viam clausam, ad latera profundissimas nives, a tergo viam angustam videns, quo se verteret, nesciebat. Retrovertendo demum, licet magnis periculis subiectus, (quippe rustici in soleis ligneis utrinque in silvis cursitantes jaculando cum persequebantur) sibi consuluit. Et sic nostri magna certe elade & optima praeda facta, omnes incolumes hinc discesserunt.

Zonam frigidam degentes, gratiae suae radiis illuminare atque refocillare, ne aspero quodam animi frigore congelemus, quin potius radiis misericordiae summae calescamus. Nam TE PRAESENTE CALEMVS; sed TE ABSENTE FRIGEMVS.

*Fervida dum molles solis praesentia terras*

*Deserit, & propius lumina grata negat;*  
*Tunc glacialis hiems aquilonibus asperat undas,*

*Et coit ad stricto mobilis unda gelu.*

*Est eadem fors nostra, Deus. Si lumina condis,*  
*Subtrabis & radios caelitus usque tuos;*

*More rigentis aquae tunc pectora frigore torpent,*  
*Et saxo quovis asperiora rigent a).*

Tibi Trinuni, cui soli semper sit honor & gloria,  
 " - - - serviat ultima Thule b).

a) Ex Symb. Christ. PHIL. p. 74.

b) VIRG. Georg. lib. I. v. 30.

#### COROLLARIA.

§. I. Quaestioni, *An dentur actiones humanae indifferentes?* subscribimus, sed certo respectu.

§. II. Fons & radix Juris Naturae non ultimo in voluntate, sed radicaliter in justitia & sanctitate divina residet.

§. III. Omnis caussa est principium, sed non contra.

§. IV. Praescientia Dei non infert rebus aliquam necessitatem.

NB. Auctor Dissert. de Urbe VMA, heic indicate voluit, Mag. ABR. LIDEN VM, qui pag. 32. per errorem ex relatione aliorum commissum, W. Gothus audit, non solum modo Stockholmiae natum fuisse, sed etiam ab 1705. d. 24. Febr. nomine suum Albo Nationis Stockh. dedisse.

